J. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

EMPYEMATE,

Quam

Divinâ adſpirante Gratiâ,

Autoritate & Conſenſu

Gratioſisſimi ORDINIS MEDICI in Alma Argentoratenſi Studiorum Univerſitate,

Pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis DOCTORALIBUS ritè conſequendis,

Solenni Diſquiſitioni exponit

MELCHIOR HURTERUS,

Scaphusâ-Helvetius.

Ad diem April. Anno MDCLXXIX.



ARGENTORATI,

Literis JO. FRIDERICI SPOOR.

38

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis & Experientissimis,

DN. JO. JACOBO WEPFERO,

Medicinæ Doctori Celeberrimo, Sereniss. Princip. & Illustriss. Comitum, ut & Reipubl. Scaphus. Archiatro meritissimo, Facult. Med. Basil. Assessori gravissimo, Patrono, Cognato & è sacro Baptismatis fonte Susceptori æternùm colendo:

DN. EMMANUELI HURTERO,

Medicinæ Doctori & Practico in Illustri Scaphusianorum Republica felicissimo, Parenti jugi honore suspiciundo,

Gratitudinem, observantiam ac obsequium debitum,

hisce Inauguralibus Thesibus

declarare debuit,

Devotissimus Cultor,

Obstrictissimus Filius,

Melchior Hurterus.



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

UT rem accuratiùs explicaturus certiori incedat tramite, à Nominis enucleatione eum exordiri jubet *Galenus l.m.m.cap.5.& 6.& Scalig.Epist.1.S.1.* aliique artium scientiarumque Proceres; quibus & nos obtemperantes, de Empyemate dicturi à nominis Etymologia incipimus. Deducitur Εμπύημα à verbo ἐμπυέειν purulentum esse; & hoc à πύον pus; quod à πύθω putrefacio: Latinis dicitur Suppuratio, Collectio puris, aut, Græco nomine latinitate donato, Empyema; habetque hoc nomen triplicem significationem: in prima & generalissima, omnem denotat suppurationem in quacunque corporis parte factam: deinde sumitur pro ea, quæ in visceribus internis contingit: tandem usus obtinuit, ut in specie pro ea puris collectione accipiatur, quæ fit in Thoracis capacitate. Hoc enim modo affecti propriè ἔμπυοι sive ἐμπυικοὶ hoc est suppurati seu purulenti appellantur, docente *Gal. l. de tumor. c. 3. & 4. de caus. puls. c. 9.* his verbis: *Qui multum puris in capedine inter Thoracem & pulmones collectum habent, hos Græci quidem Empyos, latini suppuratos appellant.* Et ultimam hanc significationem, cæteris missis, nostram facimus, dum de Empyemate agere constituimus. *Nomen.*

II. Præmissâ breviter Vocis etymologiâ, synonymiâ & homonymiâ, Affectum hunc ita definimus: „Empyema est constipatio cavitatis thoracis, à purulenta materia, difficultatem respirationis, cum tussi sputoque plerumque purulento inducens." Unde patet, non quemvis pus copiosum & fœtidum expuentem Empyicum esse vocandum, sed solum eum, cui à collectione puris, in cavitate thoracis, respirationis organa opprimuntur. Genus hujus affectus remotius est Morbus; ad differentiam Causæ morbificæ & Symptomatis; Morbi enim requisita habet. Proximum *Definitio.*

ximum autem, Morbus cavitatis, ut loquuntur, diminutæ; quod nomine Constipationis thoracis exprimitur; siquidem spatium istud pro pulmonum extensione à natura in thorace formatum, à puris copia minus redditur, pulmonesque non in libero spatio moventur, sed in lento pure trahuntur; unde dyspnœa inducitur. Posset quoque videri Morbus meatuum angustorum, dum scilicet materia purulenta in bronchia pulmonum se insinuans, eorum vias minus reddit expeditas: verum, quamvis excludenda non sit illa bronchiorum obstructio, illa tamen demum consequens est, ad notatam Thoracis à materia purulenta repletionem. Atque ita etiam, quamvis aucta magnitudo interdum conjungatur, quidditas tamen Empyematis in ea non consistit.

Subjectum. III. Subjectum sive pats affecta est ipse Thorax, secundum suam cavitatem seu spatium à partibus Thoracem constituentibus, ut costis, vertebris dorsalibus, claviculis, sterno & succingente omnes pleura efformatum, in quo pulmones instar follis attolluntur & deprimuntur ut fiat inspiratio & exspiratio: unde facile intelligitur, fluctuante in thoracis capacitate puris copiâ, simul affici pulmones, secundum suas quasdam cavitates; fieri enim vix potest, quin purulentæ materiæ pulmones undique succingentis aliqua portio, raram eorum atque porosam membranam penetret, inque sinus bronchiales & ex his in pulmonum vesiculas dilabatur. Has vesiculas tanta copia adesse *Malpigh.* sedula indagine comperit, ut, si nervi & vasa sanguiflua cum tracheæ ramis excipiantur, tota pulmonum moles vesicularum orbicularium & sinuosarum aggeries quædam sit, quæ talem situm & nexum obtineant, ut in easdem ex aspera arteria, dein ex aliis in alias aditus pateat, donec omnes in membranam pulmones investientem desinant. Occupatur vero vel universa Thoracis cavitas, vel dimidia tantum, ob interpositionem Mediastini thoracem & pulmones in duas dirimentis partes.

Causa proxima. IV. Causa proxima continensque est purulenta sordities in Thorace collecta: hæc vero in omnibus eadem non est: Quandoque enim purum merumque pus, quod album, læve, æquale & quam minimè fœtidum existit, & tale sæpissime post pleuræ abscessum suppuratum, aut disruptam pulmonum vomicam provenit: Quandoque non verum pus, sed purulenta

tan-

tantum materia & puri analogum quid colligitur; ut dum secundum *Hipp.7. aph.38.* Catarrhi in ventrem superiorem intra viginti dies ad suppurationem perveniunt: siquidem pituita delapsa, coctione crassescens, puris speciem refert: verum enim pus, monente *Senn. l.11. p.11. c.9.* ex nutrititia fit materia. Simile quid contingit, cum sanguis copiosior in Thoracis cavum effusus, à calore in verum pus converti nequit, sed corruptus consistentiam amurcæ similem acquirit, id quod & *Gal.* docuit in comment. *in aph.* 20. *s.* 6. sc. non semper veram & proprie dictam suppurationem, sed potius corruptionem esse dicendam, ex qua materia puri analoga generetur. Differt porro materia morbifica, ratione suæ substantiæ; quæ vel crassa, vel tenuis, vel spumosa: coloris; qui vel laudabilis puris notam habet vel lividus est, niger, viridis, subcruentus aut alterius cujusdam: Odoris; materia magis minusve fœtida est: Quantitatis, vel major vel minor copia adest.

V. Cum itaque Empyematis natura, ut ex dictis patet, in puris aut purulentæ materiæ collectione Thoracem constipante sita sit, in ejusdem causas remotiores, seu antecedentes quoque inquiremus. Plures hæ & variæ sunt, juxta varios & diversos affectus quorum productum esse solet; ut commode Empyema inter eos recenseatur morbos, quos Medici secundarios vel per deuteropathian appellare consueverunt, qui nimirum sunt producti tali à causa, quæ sit morbus in eodem corpore. Omnes verò morbi quorum Empyema effectum esse contingit, quales sunt Angina, Pleuritis, Peripneumonia, catarrhus, vulnera &c. Vel pus jam confectum elaboratumque intra Thoracis cavitatem infundunt; Vel materiam in pus demum vertendam illuc deponunt. Prius fit post inflammationes partium suppuratas, ut Pleuræ, cujus materia, teste *Hipp.aph.8.s.V.* nisi in quatuordecim diebus repurgetur, in Empyema degenerat; rupto enim abscessu, viâque per pulmonem præclusâ, in cavitate Thoracis pus colligi necessum est, nisi ad alia loca fiat metastasis: Post Peripneumoniam, cùm materia purulenta per sputamina non sufficienter expurgata, unitatem pulmonum solvens in pectoris cavum dilabitur. Idem contingere docuit *Hipp. aph.* 10. *s.* 5. ex Angina præcedente in Peripneumoniam conversa, quæ si septem

Causa remota.

die-

diebus ægrum non interficit, in Empyema transmutatur. Existimandum tamen non est omnem puris copiam, quam Empyici nonnunquam rejiciunt, simul eodemque tempore in dictorum affectuum abscessibus, absconditam latuisse, sed credibile potius, eam à continuo humorum appulsu indies incrementum sumere; major enim interdum est ejus quantitas, quam vel pleura aut pulmones, multo minus faucium partes caperent. Quod egregiè declarat elegans observatio, quam mihi Nobilissimus & Excellentissimus *D.D.Wepferus* Helvetiæ Æsculapius, Magnus ævi hujus Anatomicus, & noster in Medica praxi Dux, Patronus & Cognatus parentis instar venerandus, pro singulari sua munificentia pronoque bonos quosvis ornandi animo, nuper communicavit. Ille non ita pridem in Illustriss. quodam Comite Vomicâ pulmonum detento, feliciter verò restituto, notavit Illustr. Comitem intra duodecim dierum spatium puris ad minimum triginta sex libras ejecisse, ex quo Celeberr. D. D. Wepferus meritò concludit, necessum esse, puris quantitatem etiam ab assumtis augeri, non secus ac in abscessibus impuris, fistulis, gonorrhœa, etiam ipsis fonticulis: si enim omne pus quod temporis hujus tractu rejectum est, Vomica continuisset, major supponenda foret quantitas, quam aut pectoris cavitas capere, aut non sine gravissimis symptomatibus ferre potuisset. Hoc & *Hipp.* docuisse videtur *lib.1.de morb.* dicens: *fieri in Empyemate ex pleuritide, ut latus exulceratum pus reddat, & ex vicinis locis præ caliditate in se ipsum pituitam adducat, & hæc ubi computruerit, pus spuatur.*

VI. Materia in pus demum vertenda, citra prægressam inflamationem intra Thoracis cavum infunditur, dum pituitosæ materiæ à capite aliisve partibus destillationem hic affectus excipit, teste *Hipp.aph.38.s.7. Forest.l.16.obs.49. Claudin.cons.82. Matth.de Gradi cons.43. Schenck.l.2. Barth. Hist. anat. cent.* 1. *obs.*60. & plerisque observationum scriptoribus: confirmante idem quotidianâ experientiâ. Hoc tamen non verum Empyema, sed spurium seu nothum vocandum esse, dicti Authores consentiunt. vide *Gal. Comment. in aph.* 30. *s.* 7. Pituitosus siquidem humor in pectore incrassatus, purulentam simulat naturam, proinde quoque, referente *Aëtio*, citra febrim hoc malum affligit. Quod si vero legitimum ex dicta causa profectum Empyema statuere

veli-

velimus, cum *Massar. l. 2. c. 5.* concedendum, hanc destillationem prius in Thorace aliquam excitasse inflammationem, ex qua deinceps contigerit pus generari; essetque destillatio non immediata Empyematis causa, sed tantum mediata.

Talis verò Empyematis causa sæpissimè est, sanguis post Vulnera Thoraci aut pulmonibus hastâ, gladio, jaculo, globove inflicta, extravasatus atque cumulatus; idque quatuor potissimum ob causas 1. sanguinis crassitiem. 2. ejus lentorem & visciditatem. 3. foraminis angustiam. 4. imbecillitatem ægri non potentis validè satis tussire, quo pus rejiciatur, ut præclarè docet *in Exercit. suis Pathol. Ampliss. & Excell. D. D. Sebizius*, Facultatis Med. Senior gravissimus, Professor celeberr. Præceptor, Hospes, Patronus ætatem colendus. Accidit etiam quandoque, si forsan sive ex incuria sive inscitia Chirurgorum, externum Vulneris foramen citius præcludatur, quam interna ejus pars sit sanata, unde necessum, ut pus foras effluere consuetum, ad interiora ruat. Et quoniam pus ex sanguine fit, idem effectus sequitur vasorum Thoracis & Pulmonum ἀναστόμωσιν, διαπήδησιν & διαίρεσιν inductam tam ab internis quam externis causis; inter quas frequentes sunt casus præcipitior, violentior percussio, vociferationes, gravioris oneris gestatio, insolita spiritus cohibitio, plethora, evacuationes solennes suppressæ aut præpeditæ, quæ labem pulmonibus aut Thoraci frequenter imprimunt, ut suppressio mensium & fluxus hæmorrhoidalis, hæmorrhagia narium si forte cessat, fontanellæ occlusæ, pustulæ, scabies & exanthemata repercussa, & his similia, ut passim apud Authores videre est. Quandoque ejusmodi vasorum ruptiones contingere possunt à rebus acutis vel asperis incautius deglutitis, tenellam pulmonum substantiam lædentibus, quod quoniam rarius contingit, ejus rei duo exempla inter *Parentis mei piè colendi observationes* reperta annectere lubet. Ita Ille: Virgo lectissima A. M. B. Anno 1663. nucem avellanam dentibus confringebat; inter confringendum ad risum concitata majorem partem, quam adhuc ad manus habeo, putaminis, imprudens deglutiebat; ob metum suffocationis statim vocatus fui; Ei unctuosa præscripsi vomitum excitaturus; post bihorium nux in cavum pectoris descendens respirationem faciliorem reddidit; verum in latere sinistro dolorem excitavit;

foris

foris & intus applicata fuerunt remedia: Tandem post 4. septimanas putamen pure repletum ejecit: parentes ipsam plenarie restitutam putabant: filia autem medicamenta aversans & ex indulgentia Parentum illa negligens, interim purulenta ejicere cœpit. In consilium, meo suasu, adhibitus quoque fuit Excell. D.D. Wepferus; varia adhibuimus detergentia & consolidantia, sed nullo cum successu: Ægra enim quotidiè sine vehementi tussi totas pelves pure replevit: tandem de paracentesi deliberare cæpimus, quam prædictus celeberrimus noster D.D. Wepferus sæpius felicissimo cum successu instituit, & non ita pridem in Xenotrophio, in puero rustico simili affectu laborante instituimus, qui nunc sanus est & robustissimus, Verùm ab aliis fuimus impediti. Virgo longo tempore in misero hoc statu vivens, tandem Phthisica facta in ætatis flore mortua est. Altera observatio hæc est. J. J. W. Adolescens plus minus septem annorum Anno 1667. in Æstate cum aliis coætaneis lusitans, & clavum æneum, quo ephippiarii utuntur in ore tenens, incautius deglutivit & per asperam arteriam attraxit; hinc magna respirandi difficultas subsecuta est, loqui non potuit, ita ut suffocari videretur; vomitu excitato, liberiorem spiritum ducebat, manente in pectoris latere dextro clavo deglutito; dolorem postmodum sensit continuo punctorium, sitis erat magna, præsertim si paulo fortius obambulando vel currendo se movebat; inter dormiendum murmura prodibant, instar catulorum, ut ajebat, ejulantium, interdum noctu ex ore sanguis effluebat: hoc continuavit ultra duos annos. Anno 1669. die 8. Octobr. una cum patre Rhenovium ambulavit; in reditu ab ipso ad celerius eundum incitatus est: Sequente die rigor febrilis ipsum invasit, subsequente æstu maximo; ad tactum erat calidissimus, dolor punctorius intolerabilior erat, tussiebat: ad eum hoc ipso die fui vocatus; suspicabar primo intuitu, pleuritidem esse: (pleraque enim signa aderant,) donec de clavo deglutito edoctus fui, adhibitis medicamentis, ex artis præscripto, suppurantibus &c. nono ab invasione die videlicet 17. Octobris clavum cum tussi pure involutum ejecit: ab illo tempore prædicta symptomata omnia remiserunt, ita ut post usum detergentium & consolidantium nunc commodissimè vivat: Clavum aliis ostensurus servavi.

VII.

VII. Differentiæ Empyematis variæ ſunt, deſumtæ vel à ſubjecto, vel cauſis, vel accidentibus. A ſubjecto; pus vel totam Thoracis cavitatem occupat, & in utroque latere, dextro & ſiniſtro colligitur; vel in unico tantum, ſive dextro ſive ſiniſtro: id quod inſpectio cadaverum hoc affectu defunctorum docet. Quoad cauſas antecedentes: inſequitur Empyema vel inflammationes; ut Peripneumoniam, Pleuritidem, Anginam: vel ſine prægreſſa inflammatione incipit; ut poſt Vulnera inflicta, vaſorum pulmonum & Thoracis ruptiones, catarrhos, &c. Quoad cauſam conjunctam ſ. ipſam materiam morbificam: vel merum & laudabile pus continetur, atque Empyema verum ac legitimum conſtituit: vel materia quædam purulenta eſt, & puri tantùm analoga; hæcque vel mitis & benigna; vel acris & inſigniter fœtida, inæqualis &c. unde ſpurium ſ. nothum Empyema vocatur. A magnitudine; ſuppuratio alia major, alia minor. *Differentia.*

VIII. Inter ſymptomata hunc affectum ſequi ſolita, communiſſimum & quaſi individuus comes eſt Dyſpnœa, major vel minor, pro varia materiæ morbificæ conditione, quæ partim pondere ſuo pulmonibus incumbens, ſpatiumque pro eorum extenſione conceſſum anguſtius reddens, partim portione aliquâ per poroſam Pulmonum ſubſtantiam in ductus tracheales tranſumtâ, reſpirationis vias coarctans infarciensque, dyſpnœam inducit: accedit, quod ex pure collecto, fœtoris interdum non experte, vapores impuri, putridi cordique noxii, eo delati, reſpirationis uſum reddant urgentiorem. Febris lenta quidem, continuò tamen infeſtans, interdiu mitior noctu vero vehementior: à vaporum ex materia purulenta communicatione, qui in corde accenſi febrim inducunt. Hanc comitatur Sitis ferè perpetua, partim à calore febrili, partim à vaporibus putridis ad linguam aſcendentibus, exſuſcitata. Tuſſis frequens & valde moleſta, cum ſputo plerumque purulento, oritur, quia pus bronchiorum tubis vel ipſis pulmonum veſiculis impactum, nervos fibrasque nerveas per pulmones diſtributas irritat, ita ut muſculis pectoris conſtrictivis, moleſtiæ hujus amovendæ gratiâ, in conſenſum vocatis, in contractiones vehementes & ſæpius iterandas adigantur, donec materia ductibus trachealibus inhærens excuſſa ſit: Interdum nihil effatu dignum expuitur & tuſſis tantum ſicca eſt, *Symtomata.*

propter puris craſſitiem, ob quam anguſtiores pulmonum tubulos ſubire nequit. Appetitus dejectionem cauſantur vapores: qui vel ad ipſum ventriculi orificium delati, illud intemperanter afficiunt, vel ad linguam & palatum aſcendentes, ob communem tunicam, idem in conſenſum trahunt: his accedit Spirituum diſſipatio & languor, ob quorum defectum ciborum inopia non ſentitur. Eædem hæ cauſæ cordi communicatæ, anxietates, lipothymias aliaque excitare valent: ad cerebrum vero tranſmiſſæ, inquietudines, vigilias, cui continua tuſſiendi cupiditas ſymbolum addit, inducunt: verùm de his inter ſigna pluribus agemus.

Signa diagnoſtica. IX. Signa Diagnoſtica vel Affectum patefaciunt, vel ipſius Differentias diſtingunt: quæ affectum demonſtrant, duplicis ſunt generis; quædam enim vel recentem & incipientem prænuntiant: quædam verò diuturnum & confirmatum indicant. Quæ recentem affectum edocent, ſunt: Si morbi Thoracis, ut Pleuritis, Peripneumonia, Angina, item vulnus inflictum, aliive affectus interdum has partes occupantes, quibus Empyema ſuccedere ſolet, prægreſſi, non rite judicati ſint, aut opportunis adhibitis remediis non ceſſerint, è contra verò ſuppurationis ſigna acceſſerint: ut Febris exacerbatio & augmentum: *Dum enim pus conficitur, febris intenditur* juxta *Hipp. aph.* 47. *ſ.* 2. Rigores ſuperveniunt, dum à purulentis ſordibus partes membranoſæ inſigniori ſenſu præditæ, vellicatæ, atque ad moleſtiam à ſe propellendam magnopere provocatæ, partes vicinas in conſenſum trahunt. Progreſſu temporis dolores præexiſtentes quadantenus remittunt, ponderis verò & gravitatis quidam ſenſus ſuccreſcit, teſte *Hipp.* 2. *progn.* 58. Horum cauſa videtur, quòd humor putredinalis per partem inflammatam diſperſus adhuc atque diffuſus, acrimonia ſua fibras carneas erodendo, majorem quidem doloris, minorem verò ponderis ſenſum; putrefactus autem atque in cavitate ſibi formata collectus & cumulatus, majorem gravitatis ſenſum, minorem verò dolorem inducat. Imminuitur ſputi copia ob metaſtaſin materiæ morbificæ ad alium locum. Accedunt ſpirituum languores, qui vel non generantur, ob organorum, ſpirituum generationi dicatorum vitiatam diſpoſitionem; vel geniti diſſipantur à calore febrili in to-

tum

tum corpus diffuso. Denique si intra 14. dies materia non expurgatur, major erit Empyematis suspicio, præsertim cum respiratio redditur difficilior. Pectoris tandem gravitas, circa regionem præcipuè diaphragmatis augetur, ob puris majorem indies collectionem. Ultimò materiæ purulentæ ὑδατισμὸς & molestiæ sensus è corporis situ mutato percipitur. Hæc recentem affectum patefaciunt. Diuturniorem verò & consummatum significant; Febris lente perpetuoque infestans, quam partim hecticam, partim putridam dicunt; Putridam, ob vaporum ex pure putridorum exhalationes similem febrem inducentes, & quod habeat signa putridarum: Hecticam, quum hæc plerumque partium internarum inflammationes sequi soleat, ut constat ex *Gal.* 1. *de diff. febr. cap.* 9. Febrim hanc interdiu mitiorem, noctu vero vehementiorem esse, supra diximus; quoniam nocturno tempore, ut *Senn.* probè monet, pus magis elaboratur, ob caloris & spirituum ad interiora retrocessum. Sudores multi, sed inutiles oboriuntur. Sitis urget. Tussis molesta, interdum sicca, interdum purulenta infestat. Appetitus ciborum dejicitur. Anxietates & totius corporis inquietudines exsurgunt. Genæ rubent ob vaporum à putredine exsurgentium acrimoniam & caliditatem, quæ faciem calefacientes, sanguinis affluxui ansam præbent. Temporis progressu oculi cavi redduntur, ungues manuum curvantur. Phlyctenæ tandem s. pustulæ erodentes in corpore, maximè verò circa pectus erumpere solent, à puris parte subtiliore, saniosiore, & acriore ad cutim propulsa. Signa quibus Differentiæ distinguuntur, & quidem quoad Locum, sive utra pars Thoracis laboret? colliguntur, primo ex majore vel minore caliditate: in quo enim latere major observatur, ex puris collectione eam provenire conjiciendum, adeoque partem illam esse affectam: quamobrem *Avicenna* linteum madefactum in utroq; latere applicare jubet: citius docens exsiccari, quod supra partem affectam positum est. Deinde ex faciliori aut difficiliori decubitu; facilior siquidem is in partem affectam quam sanam ob puris pondus illi incumbens. Si hæc utrinque sentiantur in tota Thoracis cavitate pus contineri inquit *Hipp.* 2 *progn.* 59. Cognosci prætereà poterit ex affectibus præcedaneis; ut si à pleuritide vel vulnere ortum sit, in ea parte

pus collectum esse judicandum est, in qua morbus exstitit: Si Anginæ aut Peripneumoniæ successerit, utrumque latus ut plurimum occupatum esse suspicio erit. Addit *River. Prax. Med. lib. VII. c.* 4. in latere affecto tumorem plerunque œdematosum apparere, ex tenuiore materiæ collectæ portione in Thoracis musculos redundante. Antecedentium causarum, quas ferè semper morbos prægressos esse diximus, signa ex propriis capitibus sunt desumenda. Materiæ denique morbificæ sive causæ conjunctæ conditio cognoscitur ex puris ejecti fœtore, inæqualitate aliisque accidentibus; item ex prægressis affectibus, ut si peripneumoniæ, pleuritidi, anginæ superveniat, pus esse verum legitimumque Empyema; si autem destillationi, contrarium statuendum.

Signa prognostica.

X. Signa Prognostica *Hippocrates* diligentius annotavit, quæ ex ipso nobis repetenda. Ita autem ille *in Prognost. sive Prænotionibus* in genere. *Ex his* (quibus scilicet pus erumpit in thoracem) *maximè superstites manent hi, quos febris eodem post eruptionem die dimiserit* (id est, ut notant interpretes, quibus mitior facta fuerit febris) *& qui cibos cito appetiverint & à siti liberati fuerint*, (quod non fit, nisi pus sit bonæ notæ & in exigua quantitate) *& si venter parva & compacta egesserit, & pus album, læve & ejusdem coloris fuerit, & à pituita liberum & citra dolorem ac tussim fortem repurgetur; ac optimè quidem & celerrimè ita liberantur. Sin minus, hi quibus proxima his contigerint. At verò intereunt, hi quos febris non dimiserit, aut ubi ipsos dimisisse putata fuit, rursus recalescens apparuerit. & qui sitim quidem habuerint, cibos autem non appetiverint, & si venter liquidus fuerit, & pus pallidum sive viride & lividum expuerint, aut pituitosum & spumosum. Si hæc omnia contigerint, pereunt. Quibus verò ex his quædam accesserint, quædam non, horum aliqui intereunt, aliqui in multo tempore superstites evadunt.* Quibus consona habet *in Coacis prænot. Edit. Lind Tom. I. p. 562. Aphor. 15. f. 5.* ait: *Qui ex Pleuritide Empyi fiunt, si à ruptione Empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur, alioquin transeunt in tabem.* Ubi nota, diem quadragesimum terminum constitui vacuationis, non quod nihil penitus puris superesse debeat, siquidem æger evasurus sit; sed quod tanta copia vacuata esse debeat, ut reliquias natura facile vacuare

queat.

queat. *Aphor. 27. f. 6.* hoc habet: *Quicunque Empyi uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluxerit, omninò moriuntur.* Noxia enim alteratio subitanea, animi deliquium, virium jactura & mors in hoc casu se invicem excipiunt. *Aph. 44. f. 7. Si Empyis quum uruntur aut secantur, purum & album pus effluat, evadunt, si verò subcruentum fœculentumque & fœtidum, pereunt.* Prius enim phænomenon naturam victricem & viscerum integritatem, posterius naturam victam & corrupta viscera notat. *In Coacis prænot. Edit. Lind. T. 1. p. 563. Quibus, dum concutiuntur pus cœnosum & graveolens prodit, plerunque pereunt* (quia scilicet corruptionem significat.) Ibidem: *Quibus à pure specillum coloratur velut ab igne, plerumque pereunt.* Summam enim acrimoniam, quæ sæpè non sine malignitate, indicat. Aliâs periculosius est si pus utrumque pectoris antrum occupet. Si unum solum, periculum majus, si sinistrum: illud, quia toti pulmones purè conspurcantur: hoc, quia sinister cordis ventriculus nobilior. Quo magis implentur cavitates thoracis, eo majus suffocationis periculum, unde *Galen. l. 4. de loc. aff. c. 7.* ait: *Quibus in magna puris copia intra thoracem & pulmonem collecta, totus thorax in respiratione attollitur, celerrimè suffocantur.* Sæpè Empyema transit in phthisin: ratio est, quia pus sæpè retinetur, id est, non satis maturè aut satis copiosè vacuatur.

XI. His præmissis ad ipsam affectus Therapiam transeundum, quæ ut rectâ methodo instituatur à tribus indicationibus Præservatoria videlicet, Curatoria & Vitali desumenda, non neglectis interim urgentioribus symptomatibus. Præservatoria respicit causas tùm antecedentes tùm continentes. Antecedentes, quæ ferè semper, ut dictum, sunt morbi alii prægressi, omninò considerandæ sunt. Ut tamen singulorũ curationem hic repetamus instituti nostri ratio non permittit. Respicimus potiùs ad causam continentẽ s. ipsum pus in Thoracis cavitatem effusum collectumque, quod sui remotionem s. evacuationem indicat: fitque vel sensibiliter, vel insensibiliter sive diaphoresi, quam tamen ob materiæ crassitiem, lentorem, copiam atque situm intra Thoracis parietes interiorem, quo medicamentorum vires difficulter penetrant, vix sperare licet. Sensibilis ergò evacuatio aptis præsidiis perque loca convenientia est procuranda. Antequam verò ad præsidiorum *Cura.*

 mate-

materiam deſcendamus, inquirere lubet, per quæ loca quove tranſitu pus egeri conſueverit. Diverſæ quidem ab Artis noſtræ Proceribus deſcribuntur viæ, vix tamen ſenſibus patentes: Una quatenus materia purulenta per ſpongioſam pulmonum ſubſtantiam ductusque eorundem cœcos, admirabili naturæ inſtinctu tranſumta, atque ad bronchiorum tubulos transmiſſa, per aſperam arteriam ipſumque os beneficio tuſſis rejicitur. Verum, modum huncce alii controvertunt, cum impoſſibile ipſis videatur, pus aut purulentam materiam à ſpongioſa pulmonum ſubſtantia imbibi, præcipuè, quoniam, experientiâ conſtet, in Hydrope aut vulnere Thoracis, Pulmonibus illæſis, neque aquam neque ſanguinem rejici; Addunt, contra naturæ œconomiam quoque videri, ut corruptelam exterius genitam, intus ad nobiliſſimam partem derivet. Aſt has rationes nos non moramur: præterquam enim quod propoſita noſtra ſententia graviſſimorum Virorum, ut *Hipp. 2. Progn. 63. Galen. 5. de loc. aff. Aët. tetrab. 2. ſerm. 4. c. 65.* & plerorumque longo rerum uſu celeberrimorum authoritatibus confirmata ſit, fidem indubitatam facit quotidiana experientia, quâ comperimus, Empyicorum ſputum medicamentorum expectorantium ope inſigniter promoveri, imò plurimos eorundem uſu reſtitui. Ratio denique non deeſt, quæ hanc aſſertionem declaret: luce ſiquidem meridianâ clarius, ſpongioſam & quaſi bibulam, atque ſecundùm *Hipp.* ſpumoſam fiſtuloſamque Pulmonum eſſe ſubſtantiam, quæ ambientem materiam per poroſam eos inveſtientem membranam, facili negotio recipiat: Hanc membranam poris benè multis & ſatis magnis præditã eſſe, anatomica inſpectio docet, confirmatque idem experimentum Williſii, qui hydrargyrum ramo pulmonum tracheali infudit, quod membranam ferè totam intus obducens, ubique è poris rurſus erupit. Teſtatur quoque Walæus, ſe poros hos piſi majuſculi magnitudine in vivorum diſſectione aliquoties obſervaſſe. Cùm porrò in poroſam hanc pulmonum membranam ductus bronchiales terminentur, teſte *Malpigh. Schenck. l. 2. f. 255.* clariùs intelligitur quomodo pus in pulmonum lobos recipiatur: poſtquam enim materiæ purulentæ pulmonem ambientis, primò forſan tenuior portio, aſſiduo muſculorum Thoracis ipſiusque diaphragmatis motu, haud parum adjuta, per dictos pulmonum

tubu-

tubulos transitum semel sortita est, continua successione eos facile ita dilatare valet, ut quoque crassiori aditus pateat, & sine pulmonum noxa per os rejici possit.

Præclusâ autem viâ per superiora, natura nunquam otiosa se convertit ad inferiora; & vel per Urinæ ductus; vel per ipsam Alvum noxiam materiam evacuare studet, ut *Galen.* aliique Medici observarunt. Cùm verò de viis ad dicta loca res obscura sit, contigit ut varii in varias abierint sententias: *Gal. 6. de loc. aff. c.* 4. statuit, è pulmonum vasis ad sinistrum cordis ventriculum indeque per arteriam aortam ad renes & vesicam transire. Alii existimant, transmitti ad venam sine pari, ἄζυγον dictam, per quam in cavam, inde sive ad renum emulgentes & vesicam, sive ad portam & intestina transferri. Alii, deduci per venas diaphragmaticas. 1. Quia ad infimum diaphragmatis debeat quiescere materia purulenta. 2. Motu septi facile attenuetur. 3. Ejusdem motu oscula apperiantur. Alii, fieri per arterias diaphragmaticas. Hæc verò suis non carent difficultatibus. Nos nisi ad vias occultas & secretos meatus, quos natura in ultima sua subsidia efformat, atque illam *Hipp. in lib. de Alim.* ξύῤῥοιαν & ξύμπνοιαν confugere velimus, cum *Senn. Med. Pract. l.* 11. *p.* 11. *c.* 17. probabile esse arbitramur, materiam purulentam in pulmones prius transsumptam in vasa sanguifera resorberi, & sanguinis commeatu per cor & arteriam magnam, vel ad arteriam cœliacam & Intestina, vel ad Emulgentes & ipsos renes deponi.

Quod si in hoc quoque opere impedita sit natura, alias sibi quærit vias. Deflectens scilicet ad cutim, abscessum ibi parit, nunc anterius, nunc posterius, nunc ad latera, quo aut sponte à natura disrupto, aut artis auxilio aperto, universum pus in Thorace collectum evacuari potest: id confirmat non vulgaris observatio ab Ampliss. & Excell. *D. D. Wepfero*, Viro omni elogio majore annotata, de puero decem annorum, à casu Empyico facto, cui post aliquod tempus, è tumore sub scapula dextra aperto Empyematis materia salutariter fuit evacuata. Simile ferè exemplum refert *Barth. Hist. Anat. cent.* 1. *obs.* 60. de tumore in Puella sexenni mox infra papillam sinistram aperto. Per Umbilicum materiam purulentam in thorace anteà collectam salu-

briter

briter evacuatam vidit *Tulp. obs. l. 2. c. 6.* Adeò nihil non tentatum relinquit sagax providaque rerum natura, antequam dissolvatur fabricæ humanæ compages. Manifestiores tandem dantur viæ, cum sectione aut ustione ad puris copiam eximendam paratur vulnus; quâ de re posteà pluribus.

Hæc obiter de transitu materiæ morbificæ: Præsidia ex triplici auxiliorum fonte Diætetico Viz. Pharmaceutico & Chirurgico depromuntur. Cùm verò puris evacuatio per sputum facilius speranda sit, quàm ad alia loca minus manifesta, illud promovendum tum internis tum externis; Ita tamen ut in horum usu respiciamus ad causæ morbificæ consistentiam & conditiones: hæc, cum plerumque crassa sit lenta, viscida, vias proptereà facilè obstruens, requirit talia quæ partium sint tenuium, ac proinde vim obtineant attenuandi, incidendi, abstergendi, viasque reserandi; quæque fibras pulmonum nerveas irritando expectorationem promoveant, Expectorantia ideò communi nomine appellata: hæc duplici modo operari dicuntur, quum eorum virtus duabus viis ad pulmones deferatur; quorundam enim, postquam ore assumta fuerunt, particulæ nonnullæ activæ immediatè atque integris viribus per laryngis rimulam destillant, dictosque affectus edunt, ut sunt linctus & tabellæ diutius in ore detentæ, vapores item & fumi cum aëre inspirati: Quædam, & major quidem pars, per plures ambages eundo vim suam pulmonibus communicant: massæ enim sanguineæ commixta, dum horum particulæ ab ea subigi nequeunt atque assimilari, mox tanquam partes heterogeneæ & non miscibiles ex vena arteriosa in pulmones transeunt, ubi ἐνέργειαν suam exerentes, expectorationem dicto modo promovent: horum tamen vis longiori transitu insigniter infringitur, nisi prorsus obliteretur; quo fit, inter cætera, ut plerisque Thoracis affectibus tàm ægrè medicina paretur. Si forsan pus biliosum acre aut erodens sit, Thoracica leniora & temperatiora admisceantur. Formulæ hunc in usum tales parari possunt.

℞. Syr. Capill. Ven. jujub.
scabios. hed. terr. ā ℥j.
Oxym. simpl. ℥iß.
Loch. san. & exp. ℥j.
M. ad Vitr.
S. Brustsafft.
De hoc sæpius cochleare unum capiat sensim deglutiendo.

℞. Rad. Tuss. ℥j. Liquir.
Enul. camp. Ireos fl. ā ʒiij.
Herb. Hed. terr. marrub. alb. veron. ā M. j.
fl. viol. bell. min. ā. p. ij.
sem. anis. fœnic. ā ʒj.
Pass. Corinth ℥iß. Jujub. p. 3.
coq. in aq. com. Mjß ad 3tiæ cons. in col. diss.
Syr. capill. Ven. ℥iiij.
M. f. Apoz. clarif.
Tranck zum Außwurff.
singulis mane & vesperi hauriat ℥iij. vel iiij.

℞. Cons. Veron. Farvar.
Bellid. min. hed. terr. á ℥ß.
Rad. Helen. cond. ʒvj.
spec. diair. simpl. ʒj.
fl. sulph. sacch. ℈ß.
croc. or. gr. vij.
cum syr. jujub. f. Mixt. moll. ad Urc.
s. Latwerg zum Außwurff.
De quo capiat ad nucis castaneæ magnitudinem bis terve in die.

℞ Spec. diair. diatrag. frig. ā ℈j.
Rad. Helen cond. ʒij.
conf. Alk. ʒß.
fl. sulph. sacch. gr. viij.
ol. anis. gutt. iiij.
sacch. penid. in aq. hed. terr. sol. ℥iiij,
f. l. a. Tabel.
s. Brusttäffelin.

Similes plures aliæ remediorum formulæ, pro cujusque lubitu, concinnari possunt. Quibus verò non proficientibus, validiora incidentia & attenuantia in usum vocanda, ut oxymel scill. vel, quod magis commendatur, Oxymel Helleb. maj. Jul, à Gesnero quoque maximoperè celebratum, quod datur lambendum cum bacillo liquiritiæ, admixto syr. de hyss. vel loch. san. & exp. exhibetur etiam cochl. 1. cum syr. de Erysim. Lob. singulis manè & vesperi. Non exiguam interdum opem ferre solent Vaporationes & Suffitus, ut anteà dictum: Vaporationes parantur ex simplicium, ut Rad. helen. irid. fl. herb. hyssop. calaminth. capill. Ven. fl. acac. sem. anis. fœnic. &c. decoctione, cujus vapor per infundibilum excipitur. Suffitus fiunt, ex succin. alb. Benz. pulv. ros. r. sant. r. mastich. thur. ladan, sulph. &c. ex quibus trochisci parantur, quorum fumus naribus hauritur. Extrinsecus imposita Fomenta, Emplastra, Linimenta &c. expectorationem aliquo

modo juvare creduntur: quæ propterea paranda ex iisdem vi attenuandi, incidendi, abstergendi præditis, ut rad. alth. lil. alb. ireos. helen. herb. hyss. marrub. scab. malv. fl. cham. melil. croc. sem. fœnugr. lin. item oleis, ut ol. Amygd. d. chamem. lil. alb. vel penetrantioribus, ut ol. irin. nard. aneth. & similib.

Cum ad vias Urinarias inclinare materia purulenta cognoscitur, quod tamen rarius contingit, & non nisi à robore ipsius naturæ, hunc naturæ conatum juvare monet *Hipp. aph.* 21. *s.* 1. *Quæ ducenda sunt, eo ducenda sunt, quo maximè natura viam affectat.* Motus verò hic accelerandus, ne materia, partes nobiliores sensuque excellentiori præditas permeans, tardiore transitu easdem nimiopere lædat: quamobrem diuretica temperatiora in usum vocanda, ut rad. aperient. herb. pariet. capill. Ven. chæref. hed. terr. fl. acac. sem. 4. frig. maj. mil. solis, fœnic. nucl. persic. amygd. fraga, cicer. rubr. ficus, Thereb. ocul. cancr. mand. luc. pisc. &c.

Si ad alvum deducatur pus à natura, duo nobis indicantur; ut scil. naturæ motum adjuvemus, & ipsa intestina ab exulceratione præmuniamus: Utrumque præstant lenientia dicta, quæ fæces in Intestinis blandè subducunt, noxiosque humores abstergunt. Horum quædam ore assumuntur, ut Alimenta medicamentosa dicta, ut Jura carniũ pinguia, lact. endiv. bet. fol. bellid. min. in lacte cocta, pruna, Poma coct. Pass. &c. Medicamenta, ut Syr. ros. simpl. viol. simpl. de mann. pulp. cass. rec. extr. tamar. prun. &c. Quædam in anum injiciuntur, ut Clysteres ex emollientib. & absterg. ut rad. alth. lil. alb. herb. malv. pariet. fl. cham. melil. sem. lin. fœnugr. & similib. vel ex lacte solo, item decocto hord. vel etiam jure carnium, additis butyr. ol. sal. q. s.

Si tandem materiam morbificam insensibiliter discutere velimus: quamvis plerunque, ob rationes superius traditas, successum vix sperare liceat; tentari id potest, vel decoct. ex Lign. Sassafr. Guaj. rad. sarsap. chin. visc. quern. rad. liquir. &c. vel pulv. ex C. C. præp. Antim. diaph. ocul. cancr. dent. apr. mand. luc. pisc. sal. C. C. item spir. C. C. vel salis Amon. Bezoard. min. & similibus.

Non improbandus quoque usus Theriac. Andromach. & Mithrid. Damocr. Extrinsecus admoventur fomenta, emplastra &c. ex superius jam propositis parata.

XII. Quod si dictis modis optatus eventus non succedat, quemadmodum sæpissimè non succedit, ad alterum præsidiorum fontem, ipsas scilicet Chirurgicas Operationes, accedimus, ad quas nonnulli in hoc affectu jam facto, tanquam unicum & præsentissimum remedium, confugiunt. Agmen inter has ducunt ipsius Thoracis aperturæ, Græcis θωρακέντησις. Venesectionem enim Virium prostratio, omnibus Empyis, teste *Gal.* 4. *de loc. aff. c.* 4. familiaris, non admittit. De Thoracis verò paracentesi perspicuè nos edocet *Fabr. ab Aquap.* cujus methodum & nos servantes, sequentia considerabimus. Primò utrum; Deinde quo tempore Thoracis apertio sit celebranda; Tertiò Locum in quo sit instituenda; ultimò ipsum operandi modum breviter proponemus. Utrum Thorax sit aperiendus, docet tum præsentia ipsius indicantis sive morbi jam facti, quod ex superius traditis signis cognoscitur; tum vires ægri adhuc firmiores, quæ ex pulsuum robore æstimari possunt: Si verò vires sint prostratæ, pulmones jam labem contraxerint, respiratio brevis & anhelosa, pulsus debilis & celer, cum sudore frigido, si denique superveniat diarrhœa, cum frequentibus animi deliquiis, operatio hæc ob statum planè deploratum omittenda, & satius Medico ægrum non vulneratum sinere mori, ne occidisse videatur, quem sua sors interemit. Denique suadet id materiæ morbificæ conditio, quæ, ne si copiosa sit, ægrum suffocet, vel prava aliqua qualitate prædita, partes vicinas corrumpat, inque φθίσιν, immedicabile plerunque malum præcipitet: ex *Hipp. aph.* 15. *s.* 5. educenda. Quando agendum sive tempus, monstratur, si pus suprà dictis modis expurgari nequeat. Operatio autem hæc acceleranda, neque quadragesimus dies exspectandus, ne ex diuturniore mora partes lædantur; ἀμεθόδως enim & imprudenter se gerit

- - - - - seraque ope vincere vata
Nititur & Medicas exercet inaniter artes,

quicunque ulcere in pulmone jam confirmato, & respirationis organis insigniter læsis, Chirurgicam manum audet inferre.

De Loco apertionis magna est controversia inter Medicos, dum alii alium eligunt. *Hipp.* faciendam esse præcipit inter tertiam & quartam costam, ab inferioribus numerando, ut

materia faciliorem exitum inveniat. *Amat. Lusit. inter* 2, *&* 3. *cent.*5. *curat.*61. *& Henr. Smet. Misc.l.*7. *Willis. inter* 6. *&* 7. *Paul. Ægin. inter* 5. *&* 6, à superioribus incipiendo; quem *Fabr. ab Aquap.* sequitur, quum iste locus magis sit aptus, ad vitandam partium internarum læsionem: qui locus & nobis commodissimus videtur. Non verò indifferenter in spatiis his sectio est instituenda; sed ut arteriarum, venarum & nervorū in suis sinubus secundùm longitudinem costarum, in inferiore earum parte excurrentibus, læsionem avertamus, potiùs propè costas inferiores, quàm superiores facienda; non quidem recta, sed oblique posteriora & superiora versus, secundum ductum fibrarum musculorum intercostalium: potiùs quoque fieri debet apertio in anteriore pectoris parte, quatuor vel quinque digitorum à sterno distantiâ; quum locus iste musculis minus sit obsessus, & pulmones posteriora versus magis reflectantur, quàm anteriora. Modus operandi duplex est; fit enim vel sectione, quatenus Scalpello ex altera parte obtuso, altera aciem habente, atque ad cuspidem modicè recurvato, σκολομαχαιρίῳ dicto, ut pulmones vitentur, latus perforatur: Vel cauterio peragitur. Priori modo ita instituitur, Scalpellum (panniculo obligatum, monente *Aquap.* quod habet ex *Hipp.* 2. *de morb.cap.de Peripn.* Vel ad hunc usum ita paratum, ut ad unguis digiti mensuram summa ejus pars promineat,) sensim, ægro in exspirationis actu constituto, ut pulmones concidant, loco apto & priùs notato, oblique superiora & posteriora versus usque in Thoracis cavitatem adigitur: Si verò in teneris aut meticulosis cauterium requiratur, post escharam excitatam Scalpellum, eodem quo priùs modo, in cavitatem immittitur; quod cognoscere jubet *Fabr. ab Aquap.* ex puris vel aëris egressione, Scalpelli partis intromissæ consideratione, & quando ad cuspidem cultelli nulla sentiatur resistentia. Incisio parva sit; ne materia simul & semel egrediatur, quod Hipp. periculosum proclamat; ne aëris per majus foramen uberior ingressio partes lædat; nisi forte materiæ crassities majorem incisionem requirat. Thorace hoc modo perforato, per cannulam argenteam aliquantulum incurvatam, nec nimis longam, ne pulmones attingat, vulneri immissam, purulenta materia intus collecta per vices est egerenda: Quod si tamen sine insigni

virium

virium jactura fieri poſſit, totius evacuatio eſt acceleranda, ne puris reliquiæ, ab aëre inter evacuandum ſubingreſſo, magis corrumpantur: hinc liquor traumaticus & abſterſivus bis terve in die eſt injiciendus, & qui manè infuſus ad veſperam evacuandus, qui veſperi, mane. Poſt cannulam exemptam, vulnus turundâ ex ſtuppa vel lino crudo confectâ, & filo alligatâ obturandum; ſi pus per vulnus inflictum non liberè exeat, æger in partem inciſam inclinans tuſſire aut corpus molliter concutere debet; vel materia craſſior liquore traumatico eſt eluenda: his verò nil proficientibus inſtrumento, quod Græci πυελκὸν vocant, extrahendam eſſe præcipiunt.

Quod ſi materia purulenta ad cutim vergat tumoremque excitet; cataplaſmatibus & Emplaſtris ſuppurativis tumor eſt maturandus & aperiendus, atque aliorum ulcerum more tractandus.

Intus, ad majorem puris abſterſionem & ipſius ſanguinis depurationem, aſſumunt remedia traumatica dicta, quæ variè parantur v. g.

℞. Rad. Rub. tinct. ℥j. Liquir.
ſymphyt. á ℥ß.
Herb. agrim. vinc. perv. beton.
ſanic. piloſell. ā mj.
fl. bellid. min. hyper. ā. p. j.
cicer. rubr. ʒvj. Paſſ. corinth. ℥ij.
Coq. in aq. font. lib. iv. ad ʒtiæ conſ.
f. Apoz.
De hoc ſumat ℥iij. bis in die.

℞. Aq. Agrimon. beton.
Marrub. Veronic.
Syr. de piloſ.
Symphit. Fern. á ℥j.
M. ad Vitr.
pro 2. doſib.

℞. Ocul. cancr. pp.
C. C. uſt. pp. ā ʒij.
Margar. pp.
Corall. rubr. pp. ā ʒß.
fl. ſulph. ſacch. ℈ß.
Tab. m. ch. pl. ʒvj.
M. ad ſcat.
de quo bis in die capiat ʒß.
cum dicta potiuncula.

XIII. Cùm hoc affectu decumbentes maximoperè omnium virium languores percipiant, tertia Indicatio, Vitalis nimirum præcipit vires attritas reſarcire, ſpirituum languores refocillare,

 ipſumque

ipsumque cor confortare; quæ nobis præstant, tùm medicamenta, tùm proba victus ratio. Ex medicamentis esse possunt, Aq. meliss. ros. fl. acac. cinam. syr. è cort. citr. fl. tunic. conf. alk. marg. pp. corall. r. pp. & similia. *Victus ratio* ex diætæ præscripto desumenda.

XIV. Symptomatibus urgentiori bus, quæ communiter esse diximus, dyspnœam, tussim, febrim lentam, sitim, vigilias, tandem occurrendum; horum autem quorundam remedia superius fuere exposita: *Dyspnœa* siquidem atque *tussis* eadem requirunt expectorantia, quæ ad materiæ purulentæ per sputum egestionem conferre diximus. *Febris*, etsi absque causæ suæ, id est, materiæ purulentæ remotione curari nequeat, ejus tamen calor temperandus est, ne partes nimioperè exsiccet, viresque prosternat; quem in usum propinantur aquæ, Julepi, Syrupi, potiunculæ refrigerantes, quorum materia passim prostat; Eadem & *Sitim* restinguere valent, quibus addi possunt, quæ loco potûs ordinarii inferiùs proponemus. *Vigiliæ* interdùm gravius urgent, quæ, si diuturniores sunt, spiritus dissipant, viresque prosternunt, ut puris expectorationi pares non sint: propterea quies moderata arte procuranda: Conducunt præ cæteris hypnotica mitiora, quæ suaves ἀναθυμιάσεις ad caput mittant, & calidos acresq; vapores, ex purulenta materia exsuscitatos, spiritus animales perturbantes, attemperent, ut sunt *Aq.* nymph. lact. portal. *Syr.* viol. papav. rhœad. Amygd. d. *Sem.* 4. frig. maj. papav. alb. nucl. persic. &c. Ex quibus formantur Julepi, Emulsiores. Maximè verò hic fugienda sunt opiata, quæ spiritus animales sopiendo atque extinguendo, respirationis actus extenuant atque depri munt; cum illi ad puris molestiam à respirationis organis amoliendam, fortiores requirantur.

Diæta. XIV. Tertius Præsidiorum fons Diætam nobis proponit s. commodam victus rationem, maximè necessariam, & quæ reliquis artis remediis, ut prodesse possint, subscribere debet, docente *Gal. lib. de Theriac.* Versatur autem ea, ex Medicorum doctrina, circa sex rerum non naturalium, ita dictarum, legitimum usum. Primum itaque, ut ordinem consuetum observemus, conducit Aër in activis qualitatibus temperatus, in passivis siccus, qui temperatura sua copiosam puris colluviem insensibiliter minuêre

nuere valeat: hac enim de causa *Averr. 7. coll.* dixit: Veteres consuevisse, Empyicos in Arabiam & Æthiopiam mittere ob cœli siccitatem. Iisdem qualitatibus & reliqua victus ratio polleat, sit nempe siccans, attenuans, abstergens: Eligunt propterea carnes avium assatas, ut Gallinarum, pullorum gallinaceorum, phasianorum, perdicum, & aliarum montes inhabitantium: vel elixas & asparago, fœniculo, cœpis & aliis attenuantibus conditas. Sint prætereà cibi ἔυχυμοι, ἔυπεπτοι & πολυτρόφοι. Fructus & legumina, cum difficilioris sint concoctionis & facilè corrumpantur, fugienda. Lactis usus, præcipuè Caprilli & Asinini, Empyicis commodus est, quum parte suâ serosâ pus abstergat & expectorationem promoveat, butyrosa probè nutriat. Pro bellariis uti possunt amygd. d. pistach. nucl. pini, pass. caric. ex quibus etiam potus ordinarii parantur, forma Emuls. eo fine commendatur quoque Decoct. hord. vel passul. aut liquirit. Laudatur prætereà hydromel, ob insignem abstergendi vim. Vinum tenue, oligophoron, nisi febris vehemens sit, concedi potest: fugiendus potus frigidus; item acetum & reliqua austera. Somnus sit moderatus, ut vires reficiantur. Quies corpori concedatur, ne vires labascentes ampliùs conterantur. Alvus, si pigrior fuerit, crebra enematum injectione solicitanda. Omnia graviora animi pathemara, præsertim metus & tristitia coërcenda.

SOLI DEO GLORIA.